

- aliqua canonis Apostolici mentio facta fuerit.
2. 6. Agrippinum, Carthaginensem Episcopum, primum omnium, rebaptizationem docuisse, Vincentius Lirinensis testatur: quem secuti sunt Novariani, deinde Firmilianus, cum Orientalibus suis, qui in Synodo Iconiensi, quam Stephanum Pontificem Maximum erraticam declarasse, synodicosque communionem privasse, ex Dionysio Alexandrino docemur, decrevit, nihil ratum ab orthodoxis haberi, quod ab haereticis factum esset.
2. 7. Carthaginense Concilium, à Cypriano celebratum, statuit, ab omni haeresi venientes denuò baptizari debere. Acta Synodalia mittuntur Stephano, Romano Pontifici, quem nihil innovandum rescripsisse, praeter id, quod ab Apostolis traditum erat, Vincentius Lirinensis, & Eusebius testantur; Quibus tantum Sanctus Pontifex fretus, Africanorum conatus adeò quassavit, ut iidem Episcopi, qui contra Apostolicos canones rebaptizari debere statuerant, Hieronymo teste, ad Apostolicam traditionem redierunt, contraque se ipsos novum emisere decretum.
2. 8. Pro traditione Apostolica, canonem Apostolorum Stephanum Pontificem intellexisse, probatur; quem haud ignotum fuisse Africanis colligitur ex Dionysio Alexandrino, ex tota Africa, quae ante Agrippinum Apostolico obtemperabat statuto, à quo eam discedere, in odium haereticorum, docuit Tertullianus, ex Cyprianicis epistolis ad Quintum, Pompejanum, & Ste-